

DE ORDINE

* * *

- Thesis 4^a -

JURE DIVINO EXISTIT IN ECCLESIA ORDINIS HIERARCHIA, TRIBUS
SALTEM ORDINIBUS CONSTANS, DIACONIS SCILICET, PRESBYTERIS ET E-
PISCOPIS, QUORUM ORDINATIO EST VERUM N.T. SACRAMENTUM.

S.Th., Supp. 34, 1-4; 38, 1-3; 40, 4-5; P. 563-620; Comp. 295-308;
W. 9-93; Wernz II, 8-24; Hurter, th. 254-258; Gihr, §§ 8-16; Pohle-
Preuss IV, 54-61, 78-115; Soubey, 61-62, 79-71.

1^a Pars: JURE DIVINO EXISTIT IN ECCLESIA ORDINIS
HIERARCHIA. = *Hae iuxta hierarchia auctorit
sacerdotio quo gradus un
ECCLESIA: societas supernaturalis a Christo instituta. dicitur auctor*

ORDINIS HIERARCHIA: (concrete sumpta); coetus eorum qui spi-
ritualem potestatem habent ad sacra confienda et communicanda.

τερπχία, sacer principatus seu spiritualis potestas,
duplex est:

1) Jurisdictionis: ad docendum et regendum.

2) Ordinis: ad sacra confienda et communicanda. Hae duae
potestates inter se discrepant:

a) natura sua; i.e. objectum habent essentialiter diversum.

b) collationis modo, nam una extrasacramentaliter confer-
tur per missionem legitimam, altera rito sacro, per im-
pressionem characteris in anima. (S.Th. 2-2, 39, 3; Gihr,
§ 8, 4).

JURE DIVINO EXISTIT: ex ipsa Christi voluntate, Ecclesiae
auctoris.

(In tractatu de vera Ecclesia demonstratur a Christo institu-
ta esse jurisdictionis hierarchia, duobus gradibus distincta, e-
piscopali et pontificali. Tangitur etiam ordinis hierarchia, quae
nunc melius consideranda venit.)

ADVERSARII :

Protestantes plerique: "Omnis fideles sunt aequaliter sacerdotes, seu jure divino nullum existit in Ecclesia visibile et externum sacerdotium". P.569; W.7,8.

*Hornack et liberales - soluto sociis ecclesiae - q. p33 usq. Mjacketus 1/2
NOTA : De Fide Definita in Trid. (D.966). 960 961 938-40*

PROBATUR: (ex demonstratis in Tr. de SS. Eucharistia) :

Ibi jure divino existit ordinis hierarchia, ubi jure divino existit verum externum sacrificium;

Atqui jure divino existit in Ecclesia verum externum sacrificium; DB 938-40

Ergo jure divino existit in Ecclesia ordinis hierarchia.

*1/11-5
DB 951*
MAJ.: Nam verum externum sacrificium a persona publica seu a sacerdote offertur: ergo ubi jure divino existit verum externum sacrificium, ibi jure divino existit coetus sacerdotum: coetus ergo eorum qui spiritualem potestatem habent ad sacra conficienda et communicanda.

MIN.: demonstrata fuit in Tr. de SS. Eucharistia triplici argu-
mento, Scripturae, Traditionis et rationis theologicae.

Corollarium: Jure divino existit in Ecclesia discrimen clericos inter et laicos. W.10-14.

DIFFICULTATES :

1.- Populus christianus unus et simplex esse debet.

- unitate fidei et caritatis, C.
- unitate status:
 - generica, C.
 - specifica, N.

Cf. Ephes.4,6,11-13; I Cor.12,29; W.15, R.2.

2.- Gal.3,28: omnem distinctionem et praeeminentiam rejicit.

- quoad salutem fide, spe et caritati obtinendam, C.
- quoad statum socialem, civilem et ecclesiasticum, N.

W.15, ad prob. 1am.

3.- I Pet,5,2,3: fideles indiscriminatim clerum appellat.

- i.e. certas fidelium aggregationes seu ecclesiastis clerros vocat seu portiones gregis Christi, C.
- i.e. eadem potestate praeditos docet ac ipsos Ecclesiae pastores, N.

E contra, clare docet distinctionem inter greges et pastores: ergo clericos inter et laicos. (W.15, ad prob.3am, R.2.)

4.- Mt.20,25-28: inter Christi discipulos nullus in alios dominabitur.

- i.e. nullus ambitiose et acerbe potestatem suam exercere debet, C.
- i.e. nullus supra alios potestatem spiritualem habet, N.

Quin imo Xitus hoc ipso loco dogma catholicum de praepositis et subditis clare innuit. (W.15, ad 3am).

Legant W.16,17 (Calvini cavillationes contra auctoritatem Ignatii M.).

5.- Sacerdotium est commune christianis omnibus.

- sacerdotium internum, metaphoricum, C.
- sacerdotium externum proprium, N.

6.- I Pet,2,5,9: omnes fideles indistincte constituant sanctum et regale sacerdotium.

- metaphoricum, C.
- proprium, N. - P.612.

7.- Apc.5,10; 20,6: omnes indistincte sacerdotes.

- sacerdotio spirituali impropio, C.
- sacerdotio externo et proprio, N.

8.- Lc.22,19: Christus omnibus fidelibus in persona Apostolorum dicit: "Hoc facite..."

- quoad sumptionem Eucharistiae, C.
- quoad consecrationem Eucharistiae, N.

Patet ex praxi Apostolorum et Ecclesiae. W.23.

Lege etiam W.24 (recta interpretatio Tertulliani contra haeresiarchas).

9.- Apostolorum aevo omnes fideles pares erant, nec Apostoli diversum a reliquis affectarunt ordinem.

- quoad fidem, spem, caritatem et alia gratiae dona, C.
- quoad potestatem spiritualem, N.

10.- Act.1,22: Apostoli electos se dicunt ut resurrectionis Xti testes agerent.

- etiam, C.
- tantum, N.

11.- Apostoli fidem suadebant tantum, non auctoritate imponebant.

- infidelibus, nondum baptizatis in quos nondum jurisdictionem habebant, C.
- fidelibus et baptizatis, N.

12.- Etiam caeteri fideles persuadebant religionem Xti, ut patet exemplis Pauli et Barnabae, et Origenis.

- ut personae privatae, C.
- ut personae publicae:
 - missione accepta, C.
 - secus, N.

Paulus et Barnabas missionem extraordinariam a Xto acceperunt quam caeteri Apostoli agnoverunt, imo et ordinati sun Apostoli. Origenes vero ubi docuit jam clericus erat ordinatus et ipse missionem legitimam ab episcopo acceperat.

13.- Apostoli fideles omnes indiscriminatim fratres vocabant.

- fide et caritate, C.
- potestate et auctoritate, N.

W.25-27; Lege etiam W.28 et 29 (ubi Pseudo-Ambrosium explicat atque oculate distinguit in Apostolis, hinc munus apostolicum, illinc potestatem personalem ordinis et jurisdictionis).

14.- Gal.4,31; 5,1,13: Subjectio repugnat libertati;
Atqui Christus omnes fideles ad libertatem vocavit;
Ergo eos non subjectit.

- DIST.MAJ.: - subjectio servi ad dominum, qui servo utitur ad propriam utilitatem, C.
- subjectio subditi ad praelatum, qui salutem subditi quaerere debet, non propriam utilitatem, N.

15.- In regno Xti quilibet debet se reputare inferiorem.

- merito, C. vel Tr.
- officio, N.

Legant S.Th. Suppl. 34,1, ubi eleganter ostendit debere esse ordinem in Ecclesia, 1) quam Xitus Deus aedificavit; 2) sicut in natura et gloria, 3) secundum Dei agendi modum, qui ultima per media perficit... "Unde quidam Deo cooperantur suo modo Deo assimilati, sacramenta aliis tradentes".

2^a Pars: ORDINIS HIERARCHIA JURE DIVINO EXISTENS IN ECCLESIA, TRIBUS SALTEM ORDINIBUS CONSTAT: DIACONIS PRESBYTERIS ET EPISCOPIS.

ORDO: , ordre, classe, rang, sicut dicebatur v.g. ordo sequestris.

Ordo sumitur:

- 1) vel concrete, vel abstracte,
- 2) vel proprie vel abusive.

P. de T. 564 ff

Ordo concrete: coetus hominum qui in eadem dignitate sunt constituti, v.g. equites Romani.

Ordo abstracte: status vel dignitas communis hominibus ad illum coetum pertinentibus (inde etiam character in ordine impressus).

Ordo abusive: (proprie ordinatio); ritus quo quis promovetur in aliquem ordinem.

Unde ORDO ECCLESIASTICUS (etiam hierarchia dictus) CONCRETE SUMPTUS:

1º- Late: tota Ecclesia, clerici et laici, omnes baptizati (quatenus eamdem sacram dignitatem regeneratorum participant, eamdem sacram classem hominum constituunt, "gens sancta, regale sacerdotium").

2º- Minus late: soli clericci, seu ii qui ad sacras functiones in Ecclesia peragendas saltem tonsura deputantur. (pars, hereditas; clericci speciali jure dicuntur pars et haereditas).

3º- Stricte: soli illi clericci qui ritu speciali, quem magis proprie ordinationem (abusive ordinem) vocant, potestatem

accepere exercendi certas functiones sacras cultus divini. Hi omnes stricte dicta ordinis hierarchia in Ecclesia Xti participant, diversos ordines constituunt maiores vel minores.

ORDINES MAJORES CONSTITUUNT: clerici ad cultum divinum irrevo-
cabiliter consecrati.

ORDINES MINORES CONSTITUUNT: clerici quibus redditus ad vitam
ad vitam laicalem permittitur.

CLERICI MAJORES SUNT: in Ecclesia latina: episcopi, presbyteri,
diaconi et subdiaconi; in Ecclesia graeca: episcopi, presbyteri et
diaconi.

CLERICI MINORES SUNT: in Ecclesia latina: acolythi, exorcistae,
lectores et ostiarii; in Ecclesia graeca: subdiaconi, lectores et
cantores. P.563-566; W.2; Wernz,14.

DIACONI (*διάκονος*, minister): clerici maiores qui ex officio
in missa solemni immediate assistunt presbytero et evangelium ca-
nunt, qui praeterea Eucharistiam dispensant et Baptismum conferunt
cum eorum qui praesunt facultate. P.597,598; W.75.

PRESBYTERI (*πρεσβύτερος*, senior): clerici maiores qui potesta-
tem habent consecrandi corpus et sanguinem Xti, certa sacramenta
administrandi benedictiones varias efficiendi. P.606.

EPISCOPI (*επίσκοπος*, custos): clerici maiores qui omnia possunt
presbyteri et praeterea sacrum ordinem presbyteratus conferre pos-
sunt et ministri ordinarii Confirmationis sunt. P.613.

TRIBUS ORDINIBUS CONSTAT: DIACONIS, PRESBYTERIS ET EPISCOPIS :

- 1) diaconi, presbyteri et episcopi pertinent ad ordinis hie-
rarchiam immediate a Xto institutam.
- 2) Tres ordines constituunt in hac sacra hierarchia invicem
distinctos.

SALTEM: praescindimus in hac thesi a quaestione utrum etiam sub-
diaconi, acolythi, exorcistae, lectores et ostiarii ad eamdem hie-
rarchiam immediate a Xto institutam pertineant. (Quam quaestionem
infra tractabimus.)

ADVERSARII :

- 1°- Protestantes plerique negant ipsam distinctionem clericorum et laicorum jure divino existere in Ecclesia neque ullum ordinis hierarchiam divinitus institutam admittunt.
- 2°- Aerius, Marsilius, Wicleffus, et Presbyterani negant episcopatum esse a Xto institutum. P.613.
- 3°- S.Thomas et plerique veteres TT.: "Episcopatus est simplex extensio sacerdotii, non verus ordo a presbyteratu distinctus".

NOTA :

- 1°- "Ordinis hierarchia jure divino in Ecclesia existens constat saltem episcopis, presbyteris et diaconis": De Fide Definita in Trid. (D.966) comparando cum (D.960).
- 2°- "Diaconi verum ordinem constituunt a sacerdotio proprio dicto distinctum": Certa.
- 3°- "In ipso sacerdotio proprio dicto presbyteri et episcopi duos ordines constituunt": Probabilissima.

PROBATUR. A) "Constat diaconis, presbyteris et episcopis".

Ex TRADITIONE. Nam, tota Traditio tenet diaconos, presbyteros et episcopos jure divino institutos esse in Ecclesia et jam inde a secundo saeculo ineunte constans fuit usus vocandi in Ecclesia diaconos, presbyteros et episcopos, quos nunc vocamus et supra definivimus. P.602-604; 608-610; 616-618; 586.

Confirmatur S.SCRIPTURA.- Nam jam in scriptis Apostolorum exhibentur tres classes clericorum a laicis distinctorum:

- 1°- Apostoli et vicem Apostolorum gerentes saepe, v.g. Tit.1,5. Titus ipse et Timotheus vicem Apostolorum gerebant.
- 2°- Sub Apostolis curam ecclesiarum habentes illi qui indifferenter vocantur ηλικοι vel ομηροι (saepe, v.g. Act.20,17-28; 21,18; cf. Phil.1,1; I Tim.3,1-7; Tit.1,5-9; I Pet.5,1-4; Act.11,30; 15, vv.2,4,6,22,23; 16,4; 14,22; I Tim.4,14; 5,17; Jac.5,14).

Recole dicta in Tractatu de Ecclesia. Scilicet ex his textibus:

- a) iidem Ecclesiae pastores vocabantur.
- b) hi fuerunt simplices presbyteri. Cf. Michiels, Origines de l'épiscopat; Batiffol, Eglise naissante; DTC, Evêques, P. Prat.

3º- Diaconi, v.g. Act.6-8 (electio et ordinatio septem graecorum in diaconos, historia Stephani et Philippi), I Tim.3, 8-13 (adnumerantur diaconi cum Apostolis et presbyteris in clero).

B) "Diaconi, presbyteri et episcopi sunt tres ordines".

Tres ordines iuris divini clerici sunt qui triplici diverso gradu potestatem participant sacra conficiendi et communicandi;

Atqui diaconi, presbyteri et episcopi sunt iuris divini clerici qui triplici diverso gradu potestatem participant sacra conficiendi et communicandi;

Ergo diaconi, presbyteri et episcopi tres ordines sunt.

MAJ.: patet ex definitione ordines iure divino exsistentis.

MIN.: 1^a pars: stat ex declaratis sub A.

2^a pars: declaratur. Diaconi etenim:

- a) munera quidem sacra ex officio exercent quae laicis non competit, ipsi tamen nec Eucharistiae sacrificium offerunt, neque sacramentaliter absolvunt sicut presbyteri et episcopi.
- b) Episcopi plura praestant quae presbyteri non possunt, v.g. episcopi potestatem consecrandi corpus et sanguinem Xti non solum ipsi possident, sed eam aliis communicare possunt, dum presbyteri illam quidem possident sed aliis communicare non possunt. Cf. Gasparri 21. (Saltem ut ordinarii ministri. Item sunt Confirmationis ordinarii ministri, dum presbyteri ministri exordinarii tantum.) D.967.

DIFFICULTATES : Cf. P. I,356 s.; W.38-44; 88-93; S.Th. Suppl. 40,5; P. "Neque valet..., 620; 605,611.

1.- Diaconi, presbyteri et episcopi fuerunt primo in Ecclesia servi, seniores et oeconomi et naturali rerum progressu facti sunt cultus divini ministri;

Ergo non divinae sed humanae institutionis sunt.

Ita Protestantes liberales et Modernistae.

RESP. Nego totum. Hae theoriae omnes eversae sunt cum suis fundamentis in Tractatu de Ecclesia. Cf. P.I,356; DA, Eglise, 1248-1268; Batiffol, Eglise naissante, 172-193.

2.- Illi non sunt iuris divini clerici qui totam sui potestatem ministrandi cultui divino ex electione populi habent;

Atqui episcopi, presbyteri et diaconi totam suam cultui divino ministrandi potestatem ex electione populi habent;

Ergo...

MAJ.: patet, nam ex electione iurisdictiones forte humana sed non divina ordinis potestas datur.

MIN.: 1^a pars, patet ex Act.1,24-26: Mathias electione et sorte creatus est apostolus; ergo episcopi sola electione creantur.

2^a pars, patet etiam ex Act.14,22: " illis per singulas vicitates presbyteros", i.e. cum per suffragia elegissent vel creassent presbyteros.

Nam (manus attollo) significat suffragium ferre antiquo graecorum more; ergo presbyteri sola electione creantur.

3^a pars, patet iterum ex Act.6,1-6 " septem diaconi sola electione populi quam apostoli confirmant constituuntur.

RESP.: Conc. maj. Nego min. Ad probationem minoris.

Nota: 1) A liud est electio seu designatio ordinandorum, quae aliquando ex conniventia vel concessione Superiorum ecclesiasticorum permissa fuit populo vel eius representanti, aliud ipsa ordinatio impositione manuum facta.

2) Ex ipsis Apostolorum scriptis constat omnes cultus divini ministros fuisse sacra manuum impositione consecratos. Unde

Ad primum textum respondeo: Sola quidem electio Mathiae hoc loco refertur, sed eius ordinatio non negatur. Ergo ex generali Apostolorum praxi potius affirmanda.

Ad secundum textum: Apostolorum scriptis potius ipsum ritum impositionis manuum significat. Unde etiam hic idem est ac ordinare, sicut tota fere Traditione intellexit.

Ad tertium textum: Duo clare distinguntur in hoc textu: electio ordinandorum populo permissa ab Apostolis et electorum ordinatio per manum Apostolorum impositionem. Cf. W.32-44; P.I,358-359.

3.- Iuxta Tit.I,5-7, et multa alia N.T. loca, tempore Apostolorum iidem fuerunt presbyteri et episcopi;

Ergo iure divino episcopi non sunt presbyteris superiores.

RESP. Dist. ant.-i.e. fuerunt hae duae voces synonymae, C.

- i.e. non fuerunt duo gradus in sacerdotio proprius dicto, N.

Nonnisi secundo saeculo ineunte nomen episcopi praesentem significationem accepti, sed iam antea existebat ordo episcoporum.

4.- Ipse S.Hieronymus (M. 22,1195; 26,562) docet

- a) Iuxta Apostolum "eosdem esse presbyteros quos episcopos";
- b) in Ecclesia Alexandrina a S.Marco ad Heraclam (circa 246) presbyteros unum ex se electum episcopum nominavisse, sicut si diaconi archidiaconum sibi nominarent;
- c) antequam diaboli instinctu mali studia in religione fierunt communi presbyterorum consilio ecclesias gubernatas esse;

Ergo iuxta Hieronymum, non divini sed humani iuris est episcopus.

RESP. 1º- Etiamsi S.Hieronymus ordinis superioritatem negasset episcopis supra presbyteros, "non esset multum curandum de unius Hieronymi opinione contra omnes", ut ait P.I,361.

2º- S.Hieronymus in eadem epistola ad Evangelum concedit episcopum solum habere potestatem ordinandi: "Quid facit,

excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?" -- "Etiam quoad iurisdictionem episcopus et presbyteros nequaquam habet aequales, licet pro more suo rhetorico docendi durioribus videatur uti verbis", ut ait Wernz, p.47, nota (84). Cf. P.I, 361; Hurter, th.258.

5.- Diaconi ab Apostolis, non a Xto fuerunt instituti.

RESP. DIST. ass.: - h.e. Xtus ipse nullos diaconos ordinavit, Tr.
- h.e. Apostoli diaconos ordinaverunt absque mandato Xti, N.

Hoc mandatum non quidem S.S., sed Traditione antiqua constat, v.g. S.Clemens, S.Ignatius illud referunt.

Lege Wernz, 21, II; W.78, (dicta quaedam Cypriani, Anacleri, Damasi explicat).

6.- Iuxta Act.6, diaconi instituti fuerunt administrationem mensis; ergo...

RESP.: - Diaconi in genere, ex primaria Xti institutione...N.
- Septem diaconi de quibus Act.6:
- haec fuit occasio, C.
- ad hoc unice, N.

Cf. Phil.1,1; I Tim.5,8-13; P.601; W.79, Inst.1, Weber, Actes des Apôtres, c.6; Verdunoy, l'Eglise apostolique, p.46.

7.- S.Hieronymus diaconos omnes vocat "mensarum et viduarum ministros"; Ergo...

RESP.: - alludendo ad occasionem electionis et ordinationis septem Hellenicorum diaconorum, C.
- negando ordinem hierarchicam diaconorum sub episcopis et presbyteris, N.

Lege Wernz, 21, II; W.80 (ubi etiam Chrysostomi dicta explicantur).

8.- Unus ordo non dependet a praecedenti;

Atqui episcopatus pendet a presbyteratu (siquidem valide nemo episcopus creari potest, qui prius non fuit presbyteri);

Ergo episcopatus non est ordo. Cf. S.Th., Suppl.40,5: "Sed contra est..."

- RESP.: 1) Conc. maj. Nego min. Ita Borco, Gasparri, et alii multi.
 2) Dist. maj. Unus ordo... usque ad presbyteratum inclusive, C.
 - usque ad episcopatum inclusive, N.

Conc. min. Nego cons.

Imo argumentum aequi iure inverti potest: Episcopus est verus ordo;

Atqui verus ordo non pendet a praecedenti;

Ergo episcopatus non pendet a presbyteratu. (Cf. infra)

Lege etiam Preuss, p.92, "Another objection... Sacrament".

Nota: Alterum argumentum S.Th. "Praeterea maiores ordines non conferuntur nisi in Sabbatis"
 Sed episcopalis potestas traditur in Dominicis; ergo...
 "potius debile iudicandum".

9.- Illi clerici non sunt ordo distinctus ab ordine prebyterorum qui non habent potestatem superiorem presbyteris circa Eucharistiam;
 Atqui episcopi non habent... Ergo...

MAJ.: patet quia, ait Th. "ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae sacramentum".

MIN.: videtur evidens. Cf. Th., Suppl. 40, 5.

RESP.: Dist. maj. - circa Eucharistiam conficiendam tantum, N.
 - circa Eucharistiam perenniter in Ecclesia habendam, C. Contrad. min.

Potestas consecandi in presbytero sterilis, in episcopo foecunda; porro potestas foecunda est superior sterili. P.619: "Neque vale..." Praeterea episcopus consecrat solemnius et facilius potest distribuere Eucharistiam.

10.- Ecclesia non novit nisi septem ordines;
 Atqui si episcopi ordinem constituunt, non septem tantum sed octo ordines sunt in Ecclesia;
 Ergo episcopi non constituunt ordinem.
 MAJ.: apparet ex Trid. s.23,c.2. (D.958).
 MIN.: est evidens nam in eodem capite Trid. septem enumerantur ordines quin episcopatus menti fiat.

RESP.: 1) Dist.Maj. nonnisi septem. quorum unus sit genus, duas species sub se continens, nempe sacerdotium, continens presbyteratum et episcopatum, C.
Vel trans. secus Negatur. Contrad. Min.
Sicut septem numerosacramenta, quorum unum est quasi genus, scilicet ordo, vel totum potestatum.

2) Negatur Maj. Cf. Gasparri,21.

Lege etiam P.620; Pohle,p.92. "It is objected finally...culminates in episcopate"; W.88.

11.- S.Th.,Suppl.37,2, docet septem esse ordines nec plures, nec pauciores, et id eleganter ostendit: "Potestas, ait, ordinis aut est ad consecrationem Eucharistiae, aut ad aliquid ministerium ordinatum ad sacramentum Eucharistiae. Porro ad consecrationem ordinantur sacerdotes; ad ministerium, per cooperationem ad ipsum sacramentum, diaconi; per cooperationem ad materiam ordinandam, subdiaconi; per cooperationem ad materiam praestandam, acolythi; per cooperationem ad praeparationem recipientium, ostiarii qui indignos arcent; lectores, qui volentes instruunt; exorcistae, qui energumenos liberant a daemonie. Ergo septem ordines sunt, nec plures nec pauciores.

RESP.: Dist.Maj. "Ad consecrationem Eucharistiae"

- conficiendam tantum, N.
- conficiendam et perenniter in Ecclesia habendam, C. Contrad. Min.
- ad primum munus exercendum, sacerdotes primi vel secundi ordinis, C.
- ad secundum munus exercendum, sacerdotes secundi ordinis, N.

Lege Pohle,p.92: "It is inconsistent..."

12.- In iuris divini ordinis hierarchia ordines non constituunt, quorum dignitas etiam a feminis participantur; Atqui diaconorum, presbyterorum et episcoporum dignitas etiam a feminis participantur: Ergo...

MAJ.: patet ex I Cor.14,34,35; I Tim.2,12.

MIN.: stat ex historia; fuerunt enim in Ecclesia diaconae, presbyterae et episcopae.

RESP.: Conc. Maj. Nego Min. Ad probationem Min., Dist. diaconae...

- sensu univoco cum diaconis, presbyteris, episcopis, N.

- sensu aequivoce vel ad summum analogo, C.

Quid fuerint diaconae (seu viduae), presbyterae et episcopae dictae, explicat P. 605, 611. Cf. etiam W. 177; S. Th. Suppl. 39, 1.

Sed de his iterum ubi quaestio erit de subiecto ordinis.

3^a Pars: DIACONORUM, PRESBYTERORUM ET EPISCOPORUM ORDINATIO EST VERUM N.T. SACRAMENTUM.

ORDINATIO: est ritus quo quis in certum ordinem promovetur, seu potestatem accipit quaecerto ordini competit.

ORDINARE: est producere ordinem in rebus; ordinatio igitur est actio qua ordo producitur.

Unde, si ordo intelligitur dignitas aliqua clericalis (ordo hierarchicus vel ecclesiasticus), recte vocatur ordinatio ritus collativus ordinis abstracte sumpti. Ipsa episcoporum consecratio in Codice Iuris ordinatio vocatur. Cf. can. 950.

VERUM N.T. SACRAMENTUM: signum scilicet practicum gratiae in praesenti salutis oeconomia exsistens.

Diaconorum, presbyterorum et episcoporum ordinatio: Unaquaeque nempe ex his tribus ordinationibus est signum practicum gratiae seu verum sacramentum.

ADVERSANTUR THESI :

- 1) Plerique protestantes iuxta quos "nulla ordinatio est verum N.T. sacramentum".
- 2) Aerius, Marsilius declarantes: "Ordinatio episcopi nullam novam potestatem confert simplici presbytero".
- 3) Durandus, Cajetanus, et alii secundum quos: "Ordinatio diaconi non est sacramentum verum".
- 4) S. Thomas, qui cum veteribus plurimis declarat: "consecratio episcopi gratiam quidem confert et novam potestatem, non tamen verum sacramentum est, sed extensio sacramenti".

NOTA THESEOS:

- 1) "Una saltem ordinatio est verum N.T. sacramentum de fide definita in Trid., s.23, can.3 (D.963).
- 2) "Ordinatio presbyterorum" ... de fide catholica.
- 3) "Ordinatio diaconorum" ... certa.
- 4) "Eadem est verum sacramentum sicut diaconatus et presbyteratus", probabilissima.

PROBATUR: A) Aliqua ordinatio est verum N.T. sacramentum.

1°- Ex S.S.: II Tim.1,6,6; I Tim.4,14; 5,22; Act.14,22.

Omne signum sensibile efficax gratiae in praesenti salutis oeconomia exsistens est verum N.T. sacramentum;

Atqui ex locis citatis, aliqua ordinatio est signum sensibile efficax gratiae in praesenti salutis oeconomia exsistens;

Ergo aliqua ordinatio est verum N.T. sacramentum.

MAJ.: est ipsa notio sacramenti N.T.

MIN.: patet. Etenim ex locis citatis duo admittenda sunt:

1) Apostoli Ecclesiae, ministres ritu aliquo sensibili constituebant, scilicet impositione manuum.

2) Huic manuum impositioni efficaciam gratiae tribuebant.
Cf. P.570.

2° Ex TRADITIONE:

- a) Ex PP. Vide P.571;
- b) TT., vide P.572;
- c) Ecclesiae graecae consensu, apud P.573.
- d) Ecclesiae declarationibus, cf. R.367,465,957,959,963,2049, 2050. P.574: "Post varia vetera concilia et Florentinum (D.701) definivit concilium Tridentinum" distinctione eget. Vetera certe concilia, nempe Lateranense II et Lugdunense II rem definiverunt ante Tridentinum, sed non Florentinum in decreto pro Armenis, et ipse Pesch fatetur n.628 hoc decretum non esse oecumenicum fidei definitionem.

CONFIRMATUR TRIPLICI RATIONE : cf. P.574.

B) Presbyterorum ordinatio est verum N.T. sacramentum.Ex TRADITIONE:

- a) Consensu omnium Patrum et Theologorum cum universo populo catholico;
- b) Ecclesiae orientales idem profituntur;
- c) Ritus ordinis id importat, ut videre est apud P.609.
- d) Ecclesiae declarationes idem manifestant, v.g. in Trid., s.23,cc.1,3,4 apud D.957,959,960.

NOTA: Presbyterorum ordinatio iam inde a tempore Apostolorum existit, ut patet ex documentis antiquissimis. Cf. Wenz, 22.

C) Diaconorum ordinatio est N.T. verum sacramentum.ARGUMENTUM:

Illorum ordinatio est verum N.T. sacramentum, qui

- a) iure divino ad ordinis hierarchiam pertinent,
- b) impositione manuum et oratione ab ipso tempore Apostolorum ordinantur,
- c) et gratiam Spiritus Sti accipiunt in sua ordinatione;

Atqui diaconi...

Ergo diaconorum ordinatio est verum N.T. sacramentum.

MAJ.: omnino admittenda videtur.

MIN.: 1^a pars: iam declarata est in parte secunda theseos.

2^a pars: minoris etiam patet:

- a) Ex Act.6,6: "Hoc statuerunt (fideles) ante conspectum Apostolorum et (Apostoli) orantes imposuerunt manus eis."
- b) Ex testimonio Patrum et aliis documentis historicis; cf. P.602,603.
- c) Ex Trid. relato in D.958; P.604.

3^a pars:

- 1) ex ipsa S.S., nempe ex similitudine ritus cum aliis ordinationibus quibus Apostoli efficaciam gratiae tribuunt;
- 2) Omnino admittenda est ex auctoritate Trid., (D.964), nam etiam in diaconorum ordinatione dicitur: "Accipe Spiritum Stum".

D) Episcoporum ordinatio est verum N.T. sacramentum.

1°- Ex S.S.: Ex I Tim.4,14; II Tim.1,6.

Illa ordinatio est verum N.T. sacramentum de qua loquitur S. Paulus his locis citatis;
Atqui haec est episcopi ordinatio;
Ergo episcopi ordinatio...

MAJ.: stat quia ibi habetur signum efficax gratiae.

MIN.: patet; agitur enim de Timothaeo episcopo, ut tota traditio catholica admisit et ex ipsis duabus epistolis S. Pauli ad Timothaeum apparet, qui officiis episcopo propriis fungebatur. (Cf. P.615)

2°- Ex TRADITIONE:

- a) Ex PP. Cf.P.616.
- b) Ex Trident. Cf. P.617.
- c) Ex ipso ritu ordinationis. Cf. P.618.

3°- Ex RATIONE : Cf. P.619.

SCHOLION : De minoribus ordinibus et subdiaconatu.
(Cf. Suppl.37,1-4; P.577-596; Wernz II, 14-20.)

Dico 1 : Duplex est theologorum sententia omnino libera.

Iuxta primam opinionem S.Thomae et plurimorum veterum, omnes sunt ordines veri ab ipso Xto instituti, licet prius in solo diaconatu existiterunt realiter, omnes sunt vera sacramenta, quae characterem imprimunt et gratiam ex opere operato conferunt.

Iuxta secundam opinionem, quae est plurimorum Theologorum recentiorum, minores ordines sunt ab Ecclesia legitime instituti, non tamen vera sacramenta, sed sacramentalia tantum, quae subiectum quidem loc specialiter consacrant, non tamen characterem imprimunt, gratiam vero obtinent, sicut caetera sacramentalia, ex sola impetracione Ecclesiae, non ex directa applicatione meritorum Xti facta vi ipsius ritus adhibitu in nomine Xti.

Dico 2 : Praeplaceat haec altera opinio, scilicet hos ordines ab Ecclesia institutos esse ac propterea vera sacramenta non esse. Rationes huius sententiae exponit. P.586-591,594-596.

- a) Non statim ab initio Ecclesiae existiterunt, nec semper et ubique idem fuerunt.
- b) In iis deest materia et forma sacramenti ordinis, impositio nempe manuum et oratio qua invocatur Spiritus Stus.

DIFFICULTATES :

1.- Nulla ordinatio est sacramentum.

Prob.: Impositio manuum de qua agitur in textibus allatis non erat nisi caeremonia communis et vaga; Ergo...

RESP.: - si illa impositio manuum materialiter tantum spectatur, C.
- si spectatur formaliter, i.e. ad hunc specificum effectum obtainandum, N. (Cf. P.576; W. 47)

2.- " significat manus extensionem vel elevationem ad suffragium dandum;

Ergo " est idem ac eligere.

RESP.: - hanc significationem habet ex sensu etymologico et vulgaris, C.
- sensu specifico, usu Apostolorum et Patrum, N. Cf. W.48.

3.- Ritus fuit iudaicus iam diu ante Xtum adhibitus ad munus leviticum tradendum; ipse etiam Moyses super Iosue manus suas posuit, ut patet ex Deut.34,9; Ergo illa impositio manuum non est N.T. sacramentum.

RESP.: - ritus noster est partim materialiter idem ac ritus iudaicus, C.

- est formaliter idem, i.e. collativus ordinis christiani, N.

Recole dicta in Tractatu de sacramentis in genere, et vide Verduroy, l'Eglise apostolique, p.46.

4.- Iuxta I Tim.4,14 "Cum impositione manuum presbyterii", "
": Impositio manuum Timotheo facta
est a presbyteris; Ergo...

- RESP.: 1) Ex II Tim.1,6 patet ritum essentialem ordinationis Timothei a Sto Paulo factum esse.
 2) Secundum Chrysostomum, hi presbyteri erant episcopi
 3) Alii aliter textum explicant. Secundam primam explicationem, presbyterium significat collegium sacerdotale, i.e. omnes pastores Ecclesiae proprie dicti Apostoli nempe et vicem Apostolorum gerentes cum eis quos indifferenter vocat Paulus "vel"

Iuxta alteram explicationem, per presbyterium exprimitur ipsa dignitas collata per impositionem manuum, nempe presbyteratus, ita ut genitus sit causa e finalis.

Iuxta tertiam explicationem, presbyterium designat simplices sacerdotes; secundum hanc interpretationem, dicendum esset Paulum in hoc loco non indicare nisi caeremoniam accidentalem, qualis et hodie servatur in ordinatione sacerdotum.

Unde ad difficultatem sic dist. Impositio manuum facta est a presbyteris etiam, mere accidentaliter, C.
 - tantum a presbyteris, N. Cf. W.49; Prat II,387-388.

5.- Nullo loco S.S. legitur Xthus instituisse manuum impositionem, aut ea usum fuisse; Ergo haec non est verum N.T. sacramentum.

- RESP.: 1) Pro sua potestate excellentiae, Xthus poterat effectum Ordinis dare sine Ordine.
 2) Statim ab initio Ecclesiae ordinatio per manuum impositionem et orationem fuit usu universali. Unde cons.ant., et N. cons.

6.- Apud I Tim.4,14, et II Tim.1,6 gratiam ordinationis Paulus graece vocat; Ergo gratiam gratis datam intelligit, non gratiam gratum facientam, quae a S.Paulo dicitur.

RESP.: Conc. ant. Dist. cons.

- Paulus etiam gratiam gratis datam intelligit, non solam gratiam gratum facientem, C.
- intelligit tantum gratiam gratis datam, N.

Etiam gratiam sanctificantem S.Paulus indiscriminatim vocat v.g. Rom.5,15; "non ita et donum" de gratia iuxtapositionis.

44

7.- In I Tim.4,14 Paulus donum illud describit ut donum prophetiae, quod merum charisma. Nam significat ad prophetandum.

RESP.: Admitto textum et explico. " ", per originem significat, non finem. Electio nempe Timothei ex revelatione Dei fuit facta et ideo ex prophetia non in prophetiam Timotheus factus est episcopus. Unde negatur illatio facta cum sua ratione.

8.- Sicut exorcismi et insufflationes ad ablutionem aquae in Baptismo, ita tonsura, minores ordines, subdiaconatus et ipse diaconatus ad presbyteratum; Ergo diaconorum ordinatio non est sacramentum.

RESP.: - tonsura, minores ordines, subdiaconatus, Tr., ipse diaconatus, N. Nam diaconatus iure divino existit et gratiam confert. Cf. W.81.

9.- Omnis sacramentalis ordinatio ad consecrationem corporis et sanguinis Xti datur; Atqui diaconi consecrare non possunt...

RESP.: - finis omnis sacramentalis ordinationis est aliquo modo consecratio corporis et sanguinis Xti vel ab ipso ordinato facienda, vel solemnius habenda, vel perpetuo in Ecclesia habenda, C.

- finis omnis ordinationis est consecratio corporis Xti ab ipso ordinato facienda, N.

Diaconi ordinantur ut solemnius consecratur; presbyteri, ut per vitam ipsorum consecretur; episcopi, ut perpetuo in Ecclesia consecretur. Cf. W.81.

10.- Diaconus nullam sacramentorum conficiendorum potestatem accipit; Ergo...

RESP.: - simpliciter conficiendorum, C.
- nullam etiam ex officio et solemniter celebrandorum et administrandorum, N. Cf. W.82.

11.- Pontifex Romanus Vigilius Sebastianum diaconum a diaconatu rejicit; Ergo...

RESP.: Rejecit ab ipso ordine et charactere, N.
- ab officio et loco, C. Cf. W.82, ad 2^o.

(Etiam Pius X diaconos modernistas hoc sensu rejicit.)

12.- Per ordinationem sacramentalem potestas confertur ad faciendum ea quod sine ea non fieret; Atqui non ita est de diaconatu; Ergo...

RESP.: potestas confertur vel ad simpliciter faciendum...
vel ad solemniter faciendum, vel ex officio faciendum, C.
- necessario ad simpliciter faciendum, N. Cf. W.3.

Nota: De difficultatibus circa ordinationem episcoporum, vide Suppl. 40, 5; W. 88-93; Wernz, 23, 24; Pohle, p. 91.
Contra doctrinam in Scholion 2 traditam, Cf. Suppl. 37, 1-4; 589, 590; Pohle, p. 113 b.

13.- Florentini decretum pro Armenis (D. 701): clare docet Eugenius IV decreto in Bulla "Exultate Deo", sacro approbante consilio promulgata, subdiaconatum ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur ordo et cuius ordinarius minister est episcopus; Ergo etiam subdiaconatus et minores ordines sunt verum sacramentum.

RESP.: Admitto textum et noto:

- 1) Concedo sensum decreti esse tales.
- 2) Decretum non est definitio fidei; ergo non est infaillibile.
- 3) Rationes sunt gravissimae recedendi ab Eugenii IV doctrina cum plurimis Theologis.
Unde Cons. ant. et N. cons.

14.- Eamdem doctrinam habet Trid. s. 23, c. 2 et can. 6 (D. 958, 966) de septem ordinibus, minoribus et maioribus; Atqui doctrina Tridentini de sacramento ordinis, proponitur ut omnibus credenda; Ergo credendum est subdiaconatum, et quatuor minores ordines esse verum sacramentum.

RESP.: 1) Noluit Tridentinum hanc rem definire, sed solos errores protestantium evertere.
2) En Concilii Tridentini doctrinae de sacramento ordinis brevis conspectus:
A) In Ecclesia novum est et visibile et externum sacerdotium (D. 957).
B) Plures et diversi ministrorum ordines maiores et minores agnoscit tum ex rationibus convenientibus, tum ex S.S., tum ex Trad. 958.

Verba "et ab ipso Ecclesiae" large accipienda esse hodierni theologi communiter tenent, i.e. medio saeculo tertio, non ante. "Subdiaconatus ad maiores ordines", i.e. in Occidente et non in Oriente, "De aliis inferioribus frequentissime legimus", i.e. non de omnibus statim, neque de iisdem ubique.

- C) Ordo est proprie et vere unum ex septem Sanctae Ecclesiae sacramentum. Etenim a) ordinatio verbis et signis exterioribus perficitur, b) gratiam confert; c) id ostendit II Tim.1,6,7,
- D) a) Sacerdotium est status permanens;
b) non omnes christiani promiscue spirituali potestate praediti sunt;
c) Episcopi ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinent et presbyteris superiores sunt;
d) Ecclesiae ministri nec propria, nec populi aut saecularis magistratus electione, sed ordinatione, etiam sine populi auctoritate saecularis magistratus consensu valide constituuntur;
e) Canonibus contraria doctrina damnatur, ut omnes catholicam veritatem facilius agnoscunt. (D.960)

OCTO SEQUUNTUR CANONES CONTRA CALVIUM ET LUTHERUM.

Can.1 : D.960. Lutheri et Calvini errorem de visibili et externo sacerdotio anathematizat.

Can.2 : In illo secundo canone, verba "alios ordines maiores et minores" sic interpretanda sunt cum plerisque hodiernis theologis: omnes hi ordines existunt iure divino vel immediato vel mediato (diaconorum scilicet ordinem et episcoporum iure divino immediato, sicut ipsum sacerdotium specifice sumptum, caeteros vero ordines iure divino mediato tantum, seu directe ecclesiastico.

Can. 3 : (D.963) Ordo sive sacra ordinatio est sacramentum. (Plerique hodierni theologi intelligunt hoc sensu quod una saltem ordinatio est verum sacramentum, non necessario omnes ordinationes in Ecclesia habitae; nam tres tantum communiter admittunt ordinationes strictissime sacras, seu a Xto institutas, ut verum sacramentum.)

Can. 4 : (D.964) Damnatur Lutheri et Calvini error de effectu sacrae ordinationes.

Verba "ac proinde frustra episcopos dicere": "accipe Spiritum Stum", plerique hodierni theologi intelligunt meram declarationem praecedentium, ac si diceret Tridentinum: Per sacram ordinationem certo datur Spiritus Sanctus secus non diceret Episcopus: Accipe Spiritum Stum, sive haec verba essentialiter pertineant ad ordinationem, sive accidentaliter.

Can. 5 : (D.965) Damnatur contemptus sacrae unctionis et aliarum ordinationis caeremoniarum.

Can. 6 : (D.966) Damnatur haeresis Lutheri et Calvini de pura humana institutione hierarchiae ordinis et declaratur hanc hierarchiam constare ex episcopis, presbyteris et ministris. (Plerique hodierni Theologi intelligunt ministros aliquos, non necessario omnes enumeratos in Can.2.) Si cui videtur "et ministris" supp_{on}ere pro omnibus ministris antea designatis, tunc "divina ordinatione institutam" largius interpretandum esset, i.e. iure divino vel immediato vel mediato tantum. Quod negabant et Lutherus et Calvinus.

Can. 7 : (D.967) Definitur episcopos superiores esse presbyteris, et potestatem habere quam illi non habent, item omnes et solos rite ordinatos et missos legitime esse verbi et sacramentorum ministros.

Can. 8 : (D.968) Definitur episcopos Ecclesiae esse legitimos et veros episcopos, non figmentum humanum.

Unde ad difficultatem Respondeo: Dist. Maj. Haec docet directe Tridentinum de sacramento ordinis, N., haec docet indirecte vel innuit, C., vel Transmitto. (Cf. P.590.)

Corollarium. Ordo seu sacra ordinatio est vere et proprie unum ex septem Sanctae Ecclesiae. quae doctrina definitur apud Tridentinum, s.25,c.3 (D.959,963).

Unum igitur genere sacramentum, vel melius unum potestative. Lege P.720 "Nihilominus...", et recole dicta in Tractatu de sacramentis in genere; quo sensu septem? Septem, nempe specie non pauciora, nec plura genere.

- Thesis 5^a -

TRIUM PRAEDICTARUM ORDINATIONUM SUNT ELEMENTA ESSENTIALIA, IMPOSITIO MANUM ET ORATIO QUAE CUM HAC IMPOSITIONE IUNGITUR.

Cf. Suppl.34,4,5; 37,5; P.621-632; Wernz II,47-63; Tepe,727-736 (De ordinationibus anglicanis 740-743); Pohle-Preuss,62-71; Gihr, § 17; Van Rossum, De essentia sacramenti ordinis.

ORDINATIO, est ritus quo quis in certum ordinem promovetur seu potestatem accipit quae certo ordini competit.

TRES PRAEDICTAE ORDINATIONES, diaconorum nempe ordinatio, presbyterorum et episcoporum; unaquaeque verum sacramentum ex thesi prima.

ELEMENTA ESSENTIALIA, sunt partes ritus externi quae ad valorem ordinationis requiruntur seu sunt de necessitate sacramenti.

DUO SUNT, sensu scilicet positivo et exclusivo, i.e. duo et duo tantum.

IMPOSITIO MANUM (vel) est actio qua ordinans manum vel manus suas imponit super caput ordinandi.

ORATIO quae cum hac impositione iungitur, significat praeces quas fundit ordinans postquam manum vel manus posuit super caput ordinandi. Iuxta Rituale romanum, haec oratio incipit a) in ordinatione diaconi per verba "Emitte in eum..."; b) in ordinatione presbyteri, "Exaudi nos..."; in ordinatione episcopi", Propitiare, Domine...". Cf. P.630; Wernz,60,62,63; Pontificale romanum.

ADVERSARI :

- 1º- Albertus Magnus et Sanctus Thomas(?) et alii iuxta quos et "traditio instrumentorum cum formula Accipe Spiritum Sanctum" est de essentia sacramenti.
- 2º- Scotus et alii qui requirunt ad essentiam sacramenti "traditionem instrumentorum cum formula "Accipe potestatem", et ultimam impositionem manuum cum formula "Accipe Spiritum Sanctum".

- 3º- Secundum Billot, Noldin et alios, "prima impositio manuum cum oratione sua, et traditio instrumentorum cum formula sua" requiruntur ad valorem sacramenti.
- 4º- Lugo et alii proponunt "primam impositionem cum oratione sua, traditionem instrumentorum cum formula sua Accipe potestatem, et ultimam impositionem manuum cum formula Accipe Spiritum Sanctum".
- 5º- Fr. Amico, S.J. et alii ut elementa essentialia ordinis proponunt "sive primam impositionem cum sua oratione, sive traditionem instrumentorum cum formula Accipe potestatem, indifferenter". Cf. Van Rossum, 12-98.

NOTA : Thesis defenditur ut certa, et omnis opposita sententia rejicitur ut improbabilis. Cf. Van Rossum, 99-108; P. 622; Recherches de Sciences Religieuses, janv. 1919.

PROBATUS :

- Trium praedictarum ordinationum illa sunt elementa essentialia quae
- apud S.S. et PP. indicantur ut ritus ordinationis diaconorum, presbyterorum et episcoporum per se sufficiens et validus;
 - iam a tempore Apostolorum semper et ubique in ordinatione diaconorum, presbyterorum et episcoporum adhibentur, dum caetera omnia in ordinatione diaconorum, presbyterorum et episcoporum observata, recentioris sunt institutionis, neque etiam nunc ubique in Ecclesia observantur;

Atqui talia sunt duo elementa in thesi proposita;

Ergo trium praedictarum ordinationum elementa essent essentialia sunt duo in thesi proposita.

MAJ.: patet quia nullomodo verisimile est auctoritatem ecclesiasticam immutasse essentialia elementa illarum ordinationum.

Siquidem:

- probabiliter nullam auctoritatem habet Ecclesia immutandi essentialia elementa sacramentorum, ut declaratum est in Tractatu de Sacramentis in genere;
- Nullus actus authenticus exstat quo Ecclesia harum sacramentorum elementa essentialia immutaverit. (Cf. P.23; Wernz, 50, 51.)

MIN.: 1^a Pars, patet legenti Scripturam et Patres.

Cf. P.623,624; Van Rossum,111-117 (De Script.)
118-123 (de PP.).

2^a Pars, patet ex documentis historicis tum orientalibus
tum occidentalibus.

Quoad a) "haec duo semper et ubique"; cf. V.Rossum,204-
321.

b) "caetera nec semper, nec ubique", cf. eadem
documenta, ex quibus apparet:

1) Traditio panis et vini in ordinatione sa-
cerdotis sub formula "Accipe potestatem"
saeculo decime introduci coepit videtur.
Cf. Van Rossum,323-353.

2) Ultima impositio manus cum verbis "Accipe
Spiritum Suum", saeculo decimo tertio pro-
prie propagari coepit est. (Cf. Van Rossum,
354-359.)

3) Traditio libri Evangelii in ordinatione
diaconi prius in Angelia introductus, in
Galliam transivit saeculo decimo, postea
in Germaniam. Cf. Van Rossum,360-374.

Lege etiam 375-380.

Ergo non semper. Sed nec ubique, nam non
observantur etiam hodie in Ecclesia graeca
et quidem approbante Ecclesia Romana.
Cf. P.628, initio.

Corollarium: Haec duo, impositio manuum et oratio quae cum
hac impositione iungitur, recte dicuntur materia et forma sacramen-
ti Ordinis. Nam :

a) Sacramentum Ordinis constat exclusive tribus praedictis ordi-
nationibus;

b) Singulæ vero hæc ordinationes essentialiter constituuntur
impositione manuum et oratione, secundum aliquam analogiam,
sicut corpus naturale essentialiter componitur materia prima
et forma substantiali. Siquidem, ex istis duobus elementis u-
num de se inde terminatim, (impositio manus), ab altero (ora-
tione coniuncta) determinatur ad sensum ideoque ad effectum
specificum.

Recole dicta in Tr. de Sacramentis in genere.

Scholion. - De materia et forma caeterarum ordinationum, lege
P.621; Wernz, 53-59; Gasparri II, p.215-281.

DIFFICULTATES :

Cf. Van Rossum in diversia sententiis, 21-45; 59-74; 80-82;
87-88; 97-98; Maxima autem claritate refutat omnium difficultatum
praecipuam ex decreto Eugenii IV desumptam. Nobis nempe ostendit

- a) quid docet Eugenius IV, 382-401;
- b) quali auctoritate talia docet, 402-417;
- c) licetne ab Eugenio IV recedere atque oppositam sententiam
tenere, 418-428;
- d) adsuntne rationes quae nos cogunt ab Eugenio IV recedere,
429-460. Tandem effugium praeccludit adversariis ad Ecclesi-
ae potestatem in Sacramentorum substantialia recurrentibus,
461-476.

Cf. etiam P.623 "praeterea..."; 625, "Una autem exceptio...
626, 627, 628 "Ergo incassum..."; 631.

Tandem vide W.108-118; Wernz, 48, 59, 61, 62.

1.- "In susceptione illius exterioris signi imprimitur charac-
ter in quolibet ordine in quo signo principalis potestas quam res-
picit ille ordo significatur expressius"; Atqui hoc signum est
instrumentorum traditio cum verbis "Accipe potestatem..."; Ergo
instrumentorum traditio... Ita multi Theol.

RESP.: Dist. Maj. - si Xitus hoc signum elegerit, C.

- si aliud elegerit Xitus signum, N. Cont. Min.

Character in susceptione illius exterioris signi imprimitur,
quod Xitus elegit; porro S.S. et Traditio ostendunt Xitum impositio-
nem manuum et orationem elegisse. Cf. Van Rossum, 21-23; 36-39; 60.

2.- Christus suos Apostolos ordinavit porrígendo ipsis corpus
suum et sanguinem et dicendo: "Hoc facite..."; Atqui "horum verbo-
rum loco in sacerdotis ordinatione ponuntur haec" "Accipe potesta-
tem..."; Ergo per ista verba et per calicis cum vino et patenae
cum pane porrectionem, quae tunc fit cum proferuntur ab Episcopo,
diaconi constituuntur sacerdotes". Ita Franciscus Mayron et alii.

RESP.: Conc. Maj. Nego Min.

Non potest probari verba "Accipe potestatem" ...revera ex in-
tentione ac pracepto Xti locum tenere verborum quibus ipse Apos-
tolos suos sacerdotes constituit. Cf. Van Rossum, 24-25.

3.- Christus Apostolis contulit potestatem consecrandi in Cae-na porrigendo ipsis corpus et sanguinem suum et dicendo "Hoc fa-cit..." potestatem vero absolvendi post Resurrectionem insuffla-no et dicendo "Accipite Spiritum Stum..."; ergo eodem modo nunc Episcopus potestatem consecrandi confert traditione instrumento-rum cum formula "Accipe Spiritum Stum...". Ita Scotus, Vasquez et alii.

RESP.: Conc.Ant., et Nego Cons. Cf. Van Rossum, 61-64.

4.- Florentinum, decreto pro Armenis (D.701) haec habet: "Sex-tum sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem... Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem..."; ergo, dicunt primae senten-tiae fautores, materia presbyteratus est sola porrectio calicis cum vino et patenae cum pane, sola vero forma essentialis est "Accipe potestatem...". Ergo, dicunt fautores secundae sententiae, cum ultima impositione manuum requiritur etiam traditio instru-mentorum. Ergo, dicunt fautores tertiae sententiae, cum impositio-ne prima manuum requiritur etiam traditio instrumentorum. Ergo, quartae sententiae fautores addunt, cum prima et ultima impositio-ne requiritur etiam traditio instrumentorum. Tandem contendunt fa-tores quintae sententiae, non solam impositionem manuum cum orati-one esse ritum sufficientem et validum, sed etiam traditionem ins-trumentorum solam cum formula "Accipe potestatem..."

RESP.: Admitto textum et explico.

1°- Sensus documenti est apertus: materia et forma totalis unica sacramenti Ordinis est traditio instrumentorum cum formula "Accipe potestatem...". Unde documentum so-li primae sententiae favet. Cf. Van Rossum, 385-401.

2°- Invictis argumentis demonstratur Eugenii IV decretum in ea parte, quae de sacramentis agit, non fuisse locutio-nem ex cathedra, ac proinde irreformabile non esse, li-bertas enim Theologis data est defendendi opinones op-positas. Cf. P.672.

- a) Idem etiam ostendit valor agnitus ordinationum Ori-en-talium ab ipsis oecumenicis conciliis. Cf.P.628.
- b) Ratio agendi plurium Romanorum Pontificum, v.g. Cle-mensis VIII, ut refertur apud P.628; Benedicti XIV, De Syn.1.8,c.10,n.8 (quae dicta nunquam retractavit Pon-

tifex factus); Leo XIII "Apostolicae curae", 1896, nullitatem ordinum anglicanorum repetit ex solo defectu intentionis et essentiali alteratione formae, nullo modo ex defectu traditionis instrumentorum (D.1963-1966), imo solam manuum impositionem indicat tanquam essentialiem ordinationis materiam.

- c) Tridentinum (D.910,958,959) solam, impositionem manuum iterum iterumque indicat. Cf. P.629.
- d) Ipse tenor decreti; nam ipsum decretum sub fine distinguit inter definitiones quas continet et alias doctrinas. (95,in nota).
- e) Nullum signum oecumenicae definitionis in hac parte, quae fere ad litteram desumpta est ex opusculo S.Thomae.
- f) Semper fuerunt Theologi qui negarent hoc decreto definitionem fidei dari. Lege Recherches de Science Religieuse,1919, janv.; Van Rossum, 408-417.

3º- Licet aliquando recedere a decretis doctrinalibus S.Sedis, quae non ab infallibili magisterio, sed solum ab ordinaria et fallibili Pontificis auctoritate proficiuntur. Cf. Tr. de Romano Pont.; Van Rossum,418.

4º- Gravissimae rationes nos cogunt a doctrina Eugenii recedere, quas breviter exposuimus in probatione theseos. Cf. Van Rossum,p.429-460.

Legant etiam studiosi discipuli rationes quas adversarii adducunt ad ostendendum Instructionem Eugenii de sacramentis esse definitionem infallibilem apud eundem Auctorem, p.403-407.

5.- Benedictus XII (D.547) dicit: "Error Armenorum est quod eodem modo ordines presbyteratus et diaconatus confirmantur, scilicet per manus impositionem".

RESP.: Dist.Ass.- error Armenorum in fide circa valorem illarum ordinationum, N.

- error in praxi seu peccatum eo quod non servarent ritum romanum quem acceperant, C.

Valorem enim horum ordinum admittit, non negat.

6.- Tridentinum (D.964) ait: "Non frustra episcopi dicunt Accipe Spiritum Sanctum; Atqui haec dicunt in ultima impositione manuum, non in prima; ergo ultima impositio cum formula "Accipe Spiritum Sanctum" sunt materia et forma presbyteratus.

RESP.: Neque in nostra doctrina, sed in sola Protestantum doctrina, Episcopus frustra dicit "Accipe Spiritum Stum". Nam, iuxta nos, haec verba, iure meritoque addita sunt ab Ecclesia ad melius exprimendum effectum sacramenti, sicut omnes aliae caeremoniae accidentales. Frustra dicaret Episcopus: "Accipe Spiritum Sanctum...", si Spiritus Stus non daretur ipso sacramento, ut Protestantes volunt. Cf. P.631: "Oritur autem fortasse..."; Van Rossum, 68,69.

Unde ad diff.: Conc.Maj. et Min. sed Nego cons.

7.- Innocentius II, ad episcopum Heliensem in Anglia, anno 1204, scribit: "Nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem diaconatu assumptus, et si confirmationis sacramentum in eo debeat iterari qui per errorem fuit non chrismate sed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus respondendum quod in talibus non aliquid iterandum, sed caute supplandum quod incaute fuerat praetermissum". Atqui suppletur quod non est nisi ritus secundarius seu accidentalis (qui nempe prius omissus postea additur ritui essentiali iam facto, v.g. supplentur caeremoniae Baptismi, sine iteratione Baptismi); Ergo, iuxta Innocentium II, impositio manuum est ritus mere secundarius in ordinatione diaconi.

RESP.: Admitto textum sed explico. Modus loquendi variavit. Ritus supplendus in sensu ab Innocentio adhibito "idem est ac ritus prima vice valide conferendus, qui opponitur priori collationi invalidae vel (omissae); iteratio vero perperam facta supponit primam sacramenti administrationem fuisse validam.

Nequaquam vero Innocentius accipiens est de suppledio ritu mere accidentalis impositionis manuum, qui addatur ritui sacramentali diaconatus valide iam collati. Id quod etiam eruitur ex paritate cum sacramento Confirmationis". Cf. Wernz, 59.

Unde ad diff. Dist. Maj. "Supplendum",

- i.e. prima vice valide dandum, C.
- i.e. addendum ritui sacramentali vali-
de iam collato, N. Contrad. Min.
- in sensu Innocentii, N.
- in sensu moderno vocis, C.

Cf. Wernz, 59; P. 627 ubi legit "subdiaconatum", quae
lectio est falsa.

8.- Iuxta Gregorium IX (D. 445) apud P. 627, dicit: "Presbyter... ordinandi". Iuxta locum:

- a) Manus impositio est ritus ab Apostolis introductus;
- b) Si omissa fuerit, supplenda, (sicut ritus accidentalis ad-
ditur ritui essentiali iam peracto); ergo, iuxta Gregorium
IX, manus impositio est ritus mere accidentalis in ordina-
tione presbyteri et diaconi.

RESP.: Admitti textum et explico :

- a) "Ritu ab Apostolis introducto", i.e. prima vice perac-
to, ita tamen ex mandato Xti, qui pro potestate excel-
lentiae ipse sine ritu externi Apostolos ad episcopa-
tum promoverat.
- b) "Caute supplendum", i.e. prima vice conferendum" ad or-
dines conferendos". Cf. P. 627; Wernz, 61 ubi duas etiam
solutiones proponit:
 - 1) Sensus est ille qui objicitur. Unde Gregorius (s.
XIII) dicendus est errasse de ritu essentiali or-
dinis, sicut postea Eugenius IV (s.XV).
 - 2) Agitur non ipsa manuum impositione, sed de cir-
cumstantia accidentalis eius, i.e. de tactu physico.
Nobis videtur verior solutio tertia superius expo-
sita.

9.- Dici potest Xitus materiam et formam Ordinis in genere tantum determinasse, Ecclesiae autem reliquise potestatem specificem eas determinandi ita ut impositio manuum cum oratione sufficiat pro Orientalibus ubi Ecclesia non ulterius determinavit ritum ab Apostolis introductum, dum in ordinationibus Occidentalium, ita volente Ecclesia, traditio instrumentorum esset materia essentialis sive totalis, sive saltem partialis; ergo nulla ratio recedendi ab Eugenio IV.

RESP.: Dist.Ant. "Dici potest"

- i.e. sine intrinseca contradictione,
quoad possibilitatem rei, C.
- cum aliquo fundamento solide probabili
quoad factum, N.

Potuisset itaque Xthus non per se ipsum solum sacramenta insitituere, quoad electionem et determinationem ritus essentialis; sed nullo modo verisimile est quod ita fecerit, saltem quoad Ordinem.

10.- Ex Statutis Ecclesiae antiquis (D.150), episcopo ordinando liber Evangelii imponendus est; ergo saltem impositio illa non est recentioris institutionis, sed divinae.

RESP.: Conc. Ant. et Nego Cons. Vel Dist.

- primam partem consequentis: non tam recentioris, C.
- iam tempore Apostolorum in universali usu, N.

Item nego secundam partem consequentis.

Cf. P.625, "Una saltem exceptio..." Documentum hoc, iuxta criticos, est saeculi IV vel V.

11.- Si certa est doctrina theseos, non esset repetenda ordinatio in qua omissa vel invalide data esset traditio instrumentorum aut ultima impositio manuum; Atqui repetenda est; Ergo doctrina theseos non est certa.

RESP.: Dist.Maj. Si certa esset omnibus, v.g. si suprema Ecclesiae auctoritate definita esset, C., si certa in et multis Theologis, sed non omnibus donac suprema Ecclesiae auctoritas decidat, subd.:

- non esset absolute repetenda, C.
- non esset conditionate repetenda, N. Contrd. Min.
- absolute, N.
- conditionate, C. Dist. pariter Cons.
- non est certa omnibus, C.
- non certa in se et multis Theologis, N.

Cf. P.632; melius Arregui, 671,672.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI ORDINIS.

Dico 1. - Ordo gratiam confert ex opere operato.

Quae doctrina est de fide definita. Cf. Tr. de Sacr. in genere.

Dico 2. - Confert per se gratiam secundam.

Quae doctrina est certa. Nam Ordo est sacramentum vivorum.

Cf. P. 633.

Dico 3..- Qui ignorans se esse in statu peccati cum sufficiente attritione suscipit Ordinem iustificatur.

Quae doctrina est probabilior. Sequitur enim ex doctrina de causalitate sacramentorum declarata in Tr. de Sacr. in genere. Cf. P. 634.

Dico 4. - Sacramentum Ordinis validum 1) characterem imprimit,
2) novam potestatem confert a charactere in homine viatore
inseparabilem, 3) saltem titulum ad gratiam habitualem et
ad auxilia actualia determinata.

Cuius doctrinae pars prima, ut iacet, est de fide definita; cf. D.852; P.636; Pars secunda est saltem fide certa; cf. P.640. Pars tertia est communis inter Theologos; cf. P.635.

Lege P.636-639 de novo charactere in qualibet ex tribus ordinationibus sacramentalibus.

Dico 5. - Ordo ficte suspectus, recedente fictione, quod effectum gratiae reviviscit.

Quae doctrina est communis inter Theologos. Cf. Gehr, § 20.

DE SUBJECTO ORDINIS

- Thesis 6^a -

HAS ORDINATIONES VALIDE SUSCIPIT SOLUS VIR BAPTIZATUS; EASDEM VERO OMNIS EPISCOPUS, ET SALTEM IURE ORDINARIO, VALIDE CONFERT SOLUS EPISCOPUS.

Cf. Suppl. 38,39; P.641-670; W.129-140; 172-181; Wernz II,25-77; 79-84; Pohle-Preuss,116-129; Gehr, §§ 18,19.

Prima Pars : HAS ORDINATIONES VALIDE SUSCIPIT SOLUS VIR BAPTIZATUS.

ORDINATIONEM VALIDE SUSCIPIT, qui per ordinationem dignitatem et potestatem recipit ad quam conferendam ritus ille est ordinatus seu institutus; diaconatum, v.g. presbyteratum.

SOLUS VIR, dicitur ad exclusionem feminae.

SOLUS BAPTIZATUS, vir nempe non baptizatus invalide ordinaretur, et attentata eius ordinatio nullam potestatem ei conferret.

mini wro baptizatus valide Porch # 644 saltem ut. inadulto
ADVERSARII : episcopatus non potest presbyteratum Porch # 645

Gnostici et Montanistae, iuxta quos "Etiam mulieres possunt ordinari in diaconas, presbyteras et episcopas, Eucharistiam consecrare, etc."

NOTA : CERTA.

Rom 16¹ Phoebe diaconos

(Tim 5¹ ff de viduis
Tim 5¹²)

PROBATUR: A) Solus vir has ordinationes suscipit. DB 45
Porch # 605

1°- Ex S.S.: I Cor.14,34,35; I Tim.3,12.

Qui ordinatur, ad hoc etiam ordinatur, ut docere et praeesse possit in Ecclesia;

Atqui, iuxta loca citata, mulieres neque praeesse possunt neque docere in Ecclesia;

Ergo mulieres non possunt ordinari.

MAJ.: stat ex praxi universalis Ecclesiae, ab ipso Apostolorum tempore.

MIN.: evidenter eruitur ex textibus allatis. (380, 413, 473)
R. 112, 123, 1236

2º- Ex Traditione : Ex testimonio PP., et TT.; cf. P.642; S.Th. Suppl.39,1.

Ex praxi Ecclesiae, quae nonquam permisit ut mulieres ordines susciperet;

Atqui, si ex iure divino sexus femineus capax esset ordinum, iniuste Ecclesia totum sexum, semper privasset hac gratia. Cf.P.642.

3º- Ex Ratione: "Mulier statum subiectionis habet".
Cf. S.Th. in eodem loco.

B) Solus baptizatus valide recipit ordines.

Desumitur ex hoc quod Baptismus est ianua Ecclesiae et fundamen-tum omnium sacramentorum, uti volunt omnes Theologi.

Secunda Pars: OMNIS EPISCOPUS, ET SALTEM IURE ORDINARIO,
SOLUS EPISCOPUS VALIDE CONFERT ORDINES.

ORDINATIONEM VALIDE CONFERT, ille qui ordinationis ritum, digni-tatem et potestatem dat ad quem dandum ritus ille est institutus; dignitatem v.g. et potestatem diaconi, presbyteri et episcopi.

EPISCOPUS, ordine talis, seu qui fuit ipse valide consecratus episcopus.

OMNIS, etiam non proprius episcopus ordinandi, imo etiam pravus, haereticus, schismaticus vel degradatus episcopus.

SOLUS, nullus laicus has ordinationes valide confert, nullus cle-ricus ordinis inferioris, etiamsi presbyter sit, imo electus episco-pus, sed nondum consecratus.

ADVERSARII :

- 1º- Protestantes secundum quos "ministerium ordinandi ad populum pertinet".
- 2º- Cyprianus et alii iuxta quos "episcopus haereticus, excommunicatus, vel degradatus non potest valide ordinare".

NOTA : Tria sunt de fide definita :

- 1º- Solus Episcopus absque dispensatione valide ordinat;
 - 2º- Laicus invalide ordinat;
 - 3º- Etiam pravus episcopus valide ordinat. (Cf. Trid.s.23,can. 7,c.4; s.7,can.12 (D.967,960,885)).
- Quod omnis episcopus valide ordinat, ita est certum ut S.Cypriani et aliorum adversariorum sententia sit erronea.

Ulysses R 753, 1108, 1234, 1236, 1237

PROBATUR : A) Omnis episcopus... *Athenagoras, Epiphanius, Cred. Apud. add. Trid. apud. Hippolyti Romanii*

1º Ex S.S.: Ex PP., et ex Theol., cf. P.660; Ex Conc., cf. P. 661-663.

2º Ex Ratione theol.:

Ex potestate Ordinis tantum Episcopus ordinat;
Atqui potestas Ordinis permanet in omni episcopo, etiam pravo, haeretico vel depravato;
Ergo omnis episcopus valide ordinat.

MAJ.: patet, quia praeter Poenitentiam, nullum sacramentum requirit iurisdictionem in ministro.

MIN.: etiam patet, quia potestas Ordinis re identificatur in homine viatore cum charactere indelibili.

B) Solus episcopus, saltem iure ordinario...

1º- Ex S.S.: (Arg. saltem probabile). Act.6,5; 14,22; I Tim.5, 22; II Tim.1,6; Tit.1,5.

Soli Apostoli aut Apostolorum vicem gerentes ordinant; Ergo soli episcopi, saltem iure ordinario, valide ordinant.

2º Ex Traditione : Ex testimonio PP. Cf. P.651;
 Ex Conc. Cf. P.652;
 Ex consensu Orientalium. Cf. P.652;
 Ex testimonio TT. Cf. P.653.

Schol. 1.- Ex delegatione, simplex presbyter potest valide ordinare minores clericos et subdiaconos. Quae doctrina est certa et communis. Cf. P.665,670.

Schol. 2.- Utrum ex delegatione simplex presbyter possit ordinare etiam diaconos et presbyteros, disputatur. Affirmat nimis Aureolus, Vasquez, Hermann et alii; negant plurimi. Cf. P.665-669.

Schol. 3.- Etiam infantes valide ordinantur. Contra Durandum, Tournely et alios. Quae doctrina ita est certa ut opposita sententia sit improbabilis; quod patet ex Romanorum Pontificum declarationibus. Cf. P.648.

Schol. 4.- Ordinatio per saltum est illicita. Quae doctrina est certa. Iamdiu, nempe, ad Ecclesia prohibita, et quidem valde rationi consentanea est. Cf. P.648; C.I.,can.974.

Schol. 5.- Ordinatio per saltum usque ad presbyteratum inclusive valida est. Quae doctrina ut certa traditur. Patet enim ex pluribus Romanorum Pontificum declarationibus. Cf. P.647.

Schol. 6.- De ordinatione Episcopi per saltum videtur nobis idem esse dicendum. Cf. Gasparri,22-26. Quae doctrina defenditur ut solide probabilis.

Quaestio pronuntiatur libera a Benedicto XIV, quia :

- a) De facto episcopatus collatus fuit eis qui non fuerant presbyteri ordinati, et validus agnitus ab Ecclesia, v.g. SS.Paulo et Barnabae, S.Thimotheo... et multis Romanis Pontificibus. Cf. Gasparri,24.
- b) Episcopatus est verus ordo, presbyteratu superior, sicut presbyteratus est ordo diaconatur superior (non tantum extensio ordinis inferioris); Atqui "Unus ordo non dependet a praecedenti quantum ad necessitatem sacramenti"; Ergo episcopatus non pendet a presbyteratu quantum ad necessitatem sacramenti.

MAJ., est nunc saltem communis sententia Theologorum.

Cf. Gasparri, 21, cum nota.

MIN. admittitur ab ipso S.Thoma. Cf. Suppl. 40, 5.

c) Episcopatus est summum sacerdotium christianum; Atqui summum sacerdotium christianum virtute continet totum quod in sacerdotio inferiori continetur; Ergo qui episcopatum suscipit totum quod in sacerdotio inferiori continetur accipit.

MAJ., patet ex tota Traditione.

MIN., declaratur. Nam summum sacerdotium eminente continet sacerdotium inferius ut v.g. "ducatus continetur in regno", ait Thomas ipse. Cf. Wernz, 23.

Schol. 7. De caeremoniis ordinationis in lege P. 671-678, ubi loquitur. I. de loco sacro; de tempore prescripto, de interstitia servanda, de significatione superpellicei, candelarum accensarum, ordinis servati, genuflexionum, mitrae, unctionis.

DIFFICULTATES : A) Contra primam partem. Cf. Suppl. 39, 1; W. 175-177; P. 605, 611, 613.

1.- De facto in Ecclesia existiterunt diaconissae, presbyterae, episcopae; Atqui ab esse valet illatio ad posse; Ergo fieri seu ordinari possunt diaconissae, presbyterae et episcopae.

RESP.: Dist. Maj. "Diaconae, presbyterae, episcopae", sic dicitae, quia sacramentaliter ordinatae, N. - alio sensu, O.

Contrad. Min. et Dist. pariter Cons.

Cf. P. 605, 611; W. 177; Suppl. 39, 1; Pohle, p. 126.

2.- De facto existit etiam papissa Ioanna, inter Leonem IV et Benedictum III, ut constat ex multis Scriptoribus et etiam monumentis publicis.

- RESP. 1) Etiamsi mulier electa esset in Papam et materialem ritum ordinationis accepisset, tamen nil in ordinatione recepisset.
- 2) Nego Ant. Haec est enim mera fabula. Regnavit S. Leo IV, 847-855, Benedictus autem 855-858. Legant W. 175; DA. "La papesse Jeanne", ubi fabulae huius mira historia narratur.

3.- Legimus apud IV Reg. 22,14, mulierem officium prophetae exercuisse ("Ad Holdam prophetidem"; ergo mulier potest etiam sacerdotis officium exercere.

RESP.: Conc. Ant. et Nego Cons. Prophetia enim non est ordinis sacramentum. Cf. Suppl. 39,1, ad 1^m.

4.- Mulieribus convenire potest iurisdictionis potestas, nam praelatio, v.g. abbatissarum praelatio, quandoque etiam in monaces sui ordinis praevaluit.

RESP.: Dist. Ant.: - potestas iurisdictionis politicae, civilis, oeconomiae convenire potest mulieribus, C.
 - potestas iurisdictionis ecclesiasticae, Subd.
 ord., N. delegatae, iterum subd.
 - in se potest mulieribus convenire, C.
 - iuxta leges Ecclesiae, N.

Ad Prob., Dist. Abbatissarum praelatio praevaluit in monachos

- quoad potestatem ordinis, N.
- quoad potestatem iurisdictionis, Subd.:
 - oeconomiae, C.
 - ecclesiasticae, N.

Habent illae abbatissae potestatem dominativam oeconomicam tantum. Cf. W.176, initio; Lemmkull I,214, V; Suppl.39,1 ad 2^m.

5.- Quaedam abbatissa de Brubridge canonicas suas et clericos suae iurisdictionis subiectos, propter eorum culpas, officio et beneficio suspendit; Ergo etiam ordinis capaces sunt mulieres.

RESP.: Dist. Ant. - Suspendit canonicas. Tr.
 - clericos, Subd.:

- iure suspendit, N.
- de facto seu irrito effectu, C. Cf.W.176.

6.- Etiam mulieres:

- a) Beneficia ecclesiastica possident;
- b) Instituunt clericas in beneficiis; Dist., improprie (eos praesentando vel nominando) C., proprie, i.e. ius conferendo, N.
- c) Ordinario modo petuerunt ferre censuras, concedere facultatem audiendi confessiones, etc. Dist. Potuerunt ut subiectum proprie dictum iurisdictionis, N., potuerunt hoc improprio sensu quod mutu Abbatissae auctoritas ecclesiastica actus efficaces reddebat, C.

65

- d) Lectiones publicae in ecclesia recitant et psallant in choro. Dist. Sicut publici ministri Ecclesiae, N., sicut ipsi laici hodie, C. Cf. W.176, Casaioana, 94.

7.- Etiam mulier est capax potestatis quae fundatur in anima; Atqui potestas ordinis fundatur in anima; Ergo etiam mulier est capax potestatis ordinis.

Major stat ex eo quod sexus non est in anima.

Minor, quia character animae imprimitur.

RESP.: Dist Maj. Quae fundatur in anima nec excludit connotalem subiectionem quae mulieri competit, C., secus, N. Contrd. Min.

B} (Contra secundam partem) Cf. P.664,667-669; W.137-142,144
148-171.

8.- PP. et Scriptores ecclesiastici docuerunt non omnem episcopum valide ordinem ferre; Ergo...

RESP.: Dist.Ant. - id docuerunt communiter, N.

R 919 Basilius erat vel forte pauci id docuerunt contra caeteros et legentur de ordine confirmatione contra magisterium, C. Rebaptizantes nempe et reordinantes, ut v.g. S.Cyprianus et alii.
velido (!)

9.- Episcopus degradatus saepe dictus est "non episcopus". Ergo.

RESP.: "Non episcopus",

- i.e. iam non pleno sensu episcopus, C.

- i.e. iam nullo modo nec vero sensu episcopus, N.

10.- Episcopi illicite ordinati dicuntur "pro non ordinatis habendi".

RESP.: Dist. Ass. - quoad valorem ordinis, N.

- quoad usum licitum, C.

11.- "Non consecratus sed execratus".

RESP.: Dist. Ass. - ex defectu characteris, N.

- ex defectu gratiae, C.

12.- "Denuo debet creari episcopus".

RESP.: Dist. Ass. - collata ordini, N.

- collata iurisdictione, C.

13.- Anglicanorum ordinationes reiectae sunt.

RESP.: Dist. Ass.- propter solam haeresim ordinantium, N.

- propter defectum formae et intentionis requisitae, C.

14.- Romani Pontifices reordinandos senserunt imo reordinaverunt simoniace ordinatos.

RESP.: Dist. Ass. - definiendo ex cathedra, vel universali Ecclesiae legem praescribendo, N.

- neque definiendo ex cathedra, neque universali Ecclesiae legem praescribendo, Subd.:
 - plurimi, N.
 - unus aut alter, vel certe paucissimi (Stephanus VI, Sergius III), C. vel Tr.

Cf. P.664; W.155-157; Albert I, 331,332.

15.- "Omnis sentiunt ordinationem episcopi esse invalidam, nisi praecesserit sacerdotium", ait Valentia, cui consentit Vasquez, similiter S.Alphonsus, cf. P.645, initio.

RESP.: 1) Non habetur consensus necessarius ad rem dirimendam.

Cf. Wernz,23; Gasparri,23.

P.645 2) Plurimi ita senserunt ex errore de episcopatu, ut neque volunt in quippe fatetur Pesch.

16.- "Episcopus est summus sacerdos; Atqui in episcopali consecratione non datur potestas consecrandi, quae est imprimis sacerdotalis; Ergo hac potestate non supposita, nemo potest fieri summus sacerdos seu non potest valide consecrari episcopus". Cf.P.645.

RESP.: 1) Haec ratio potius contrarium probat. Nam, si episcopus est summus sacerdos, et si potestas consecrandi sit imprimis sacerdotalis, ordo episcopalis necessario continet omnem potestatem sacerdotalem, sicut ordo presbyteralis continet omnem potestatem diaconalem. Unde sicut ordinatio presbyteri per saltum eminenter continet diaconalem, ita ordinatio episcopi eminenter continet presbyteralem.

2) Conc. Maj. Dist. Min. Quando consecratio episcopalis per saltum datur, N., quando consecratio episcopalis datur post presbyteralem, Subd... et hoc

et hoc per se (seu non est nata dare), N., et hoc per accidens (quia iam adest), C.

Explico: Sicut sacramentum mortuorum saepe non dat gratiam primam sed secundam, quando nempe subiectum iam ornatur gratia sanctificante, ita ordinatio episcopalis si per saltum datur, dat sumnum sacerdotium et omnia quae in summo sacerdotio formaliter continentur; si vero post ordinationem presbyteralem datur, potestatem consecrandi non dat sed perficit et superiorem reddit, utpote foecundam et communicabilem.

17.- "Revera, qui non habet potestatem in corpus Xti reali, non potest habere potestatem (ordinis) in corpus Xti mysticum..."

RESP.: Conc. totum. Hoc potius nostrae sententiae favere, nempe ostendendo non posse ordinari episcopum, quin per se potestatem consecrandi accipiat.

18.- "Episcopatus est quidem maior... nam potestas consecrandi est maxime sublimis in Ecclesia".

RESP.: Hoc verum, si sententia Auctoris esset aliunde probata; sed nego illam esse aliunde probatam. In nostra sententia, episcopatus est simpliciter maior presbyteratu, quia sumnum sacerdotium est maius inferiori sacerdotio sicut totum est maius sua parte. Cf. Gaspari, 1146.

19.- "Ecclesia nunquam legitur agnovisse valorem episcopatus collati ei qui non erat presbyter".

RESP.: 1) Neque unquam legitur hunc valorem negasse.
2) Nego assertum. Siquidem ecclesia agnovit ordinationem S. Pauli et Barnabae, et omnium Romanorum Pontificum qui per saltum ordinati leguntur.

20.- Innocentius VIII, a.1489, allatibus Cistercienvibus privilegium concessit suos monachos ad diaconatum promovere; Ergo saltem diaconatum ex concessione Pontificis valide confert simplex presbyter.

RESP.: 1) Nego factum ipsum.
2) Dato facto, nego cons.

P.667,668; W.144; Wernz II,127, II,d, cum nota (29).

21.- Choropiscopi saepe ordinaverunt sacerdotes; Atqui choropiscopi non erant episcopi; Ergo...

Conc. Maj., Nego Min. - P.669.

22.- Flor.decr. pro Armenis (D.701) dicit:

"Ordinarum minister huius sacramenti est episcopus"; Ergo supponit simplicem presbyterum posse esse extraordinarium ministrum sacramenti ordinis.

Admitti textum sed explico:

- 1) Eugenius IV evidenter loquitur in opinione S.Th. secundum quam etiam subdiaconatus et quatuor minores ordines sunt sacramentum ordinis... Porro omnes concedunt simplicem presbyterum posse esse ministrum extraordinarium horum ordinum. Unde, in hac opinione loqueres, potuit dicere episcopum esse ordinarium ministrum sacramenti ordinis, quim concederet simplicem presbyterum posse esse ministrum extraordinarium aut diaconatus, aut presbyteratus conferendi.
- 2) Eugenius in hac 5^a parte Decr. pro Armenis nil definit ex cathedra, nec praeceptum universae Ecclesiae imponit.

Dist. Antec.: - ex catheora definiens, N.

- ordinarii tantum et fallibili magisterio sus utens
- sacramentum Ordinis intelligens tres tantum supremos ordines, episcoparum, presbyteratum et diaconatum, N.
- sacramentum Ordinis intelligens etiam quinque alios inferiores ordines, C.

23.- Trid. s.23,can.7 (D.967) eodem modo dicit confirmandi et ordinandi facultatem propriam esse episcoporum, nec presbyteris communem; Atqui hoc non obstante sacerdos potest esse minister extraordinarius confirmationis; Ergo etiam Ordinis.

Conc. vel Tr.Maj., Concedo Min.- Sed Dist. cons.

- ad hoc non obstat Trid. l.c., C.
- nil aliud obstat in Traditione, N.

W.140.- Cetera apud W.141-142 facilia.